

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Interquiescens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A Hoc enim est maleficum Serpentem, qui clam insidiis excubat, è latebris extrahere, extractumque interficere, interficium denique devorare.

## FUGACITAS. CAP. IV.

Fugitivum dubio procul hieroglyphice notare qui vellent, currentem Cervum describant. Ea vero fugacitas Cervo natura infinita. Hinc Lucretius: *Et fuga Cervis A patribus datur, & patriis pa-*  
*vor incitat artus.* Quam vero pedum alacritatem in Achille fuisse authores tradunt, ut ποδαρεῖν, καὶ Achilles  
*πόδας ἀντίς* passim ab Homero vocitur, sunt qui autument inde partum, quod ejus infantes sub *quare se*  
*diēus.* Chirone fuerit Cervorum medullis plurimum enutrita. Porro illum assecutum esse Cervos absque  
*Canibus, & retium insidiis,* Pindarus in Nemeis canit:

Kτίσοντ' ἐλάθος αὐτὸν κυνῶν, δυλιῶν θέρηντα.

Nam de agilitate Cervi superfluum est verba facere, cum scriptis omnium in primis celebretur, præcipue vero χαρ' ἔξοχῳ quandam, Laconum chorus, Aristophanica Lysistrate dicat, saltandum pe-  
*dibus* est tanquam Cervus aliquis. Sed quod de Achillis nutrimento & nomine positum est, Nazian-  
B zenus Achillem dicūt ait, quod sine cibo fuerit educatus: *χυλός enim cibus & fucus est ille vero*  
*crudis tantum ferarum artibus pasci fuerit auctus.* Sed & quod de Chironis institutione circum-  
fertur, mirum ab Homero nusquam hujus rei mentionem fieri, cum tamen Apollonius, & qui post  
Homerum fuerunt Poëtae plerique omnes educatum Achillem à Chirone tradant. Addam hic Tele-  
phum Herculis & Auges filium, quem Alæus Auges pater in Panthium montem exposuerat, à Cer-  
va educatum esse, ut apud Lycophronis interpretem habetur, quod & nomen ipsum ostendere vi-  
detur: Cervi quippe nutricatum significat.

## INTERQUIESCENS. CAP. V.

Quamvis autem cursum perniciissimum Ægyptii ex Cervi currentis specie intelligi monuissent,  
quia tamen is requiem inter currendum aliquam facit, consensusque manet, dum qui sequi-  
tur appropinquet, tum fugam item arripit, factum est, ut hominem aliquam laboribus suis requiem  
interponentem significare si vellent, currentem quidem Cervum pingerent, sed retro spectantem,  
C cum in solius tantum fugacitatis significato caput surrectum statuerent, ut cornua per dorsum de-  
milia residerent. Ideo vero Cervus dum fugit interquiescere cogitur, quod tenui imbecilloque  
est intestino, quod leviter etiam percussum rumpi possit, cute adhuc integra permanente. Denique  
imbecillum adeo animal est Cervus, ut tactus ab aspalatho (ea est spina species) emoriatur. Verum  
hoc & alia de causa, & alio etiam potest modo pingi, quippe si tres pluresve Cervos natantes fe-  
ceris capitibus alterius clunibus impositis, atque eorum primum avertentem se quasi ad postre-  
num locum: quo quidem officio mutuo se adjuvant, cum ex Sicilio transferant in Calabriam per  
statem, pabuli gratia: idque plurimum iuxta urbem Rhegium, qui propterea quod onus capitum su-  
per aquas existans haud facilè sustinent, inter natandum singuli super anterioris lumbos caput im-  
ponunt: dux vero cum defessus est ad ultimum transit locum, atque ita mox aliis atque aliis labore  
cum quiete communicato, incolumes transeunt. Si cui tamen quod superius positum est hierogly-  
phicum magis placuerit, res in medio posita est.

## FORMIDO. CAP. VI.

D Stuporem præter hoc, formidinemque per Cervum & puniceas pennas prætentas significari o-  
mnibus innötuit, tam ex iis, qui Animalium historias conscripsere, quam ex Virgiliano carmine,  
qui Turnum attonito quodam pavore percussum Cervo æquiparat *punica septo formidine penna.* Li-  
bet vero loco hoc de pennis ad Cervorum formidinem excogitatis historiā enarrare, qua non tan-  
tum Virgilii carmen explicabit, verum etiam hieroglyphico huic argumento plurimum afferet clari-  
tatis. Narrabat mihi Jo. Antonius Pollio Geloum Princeps, Pontificii contuberñii mihi socius, stare *Cervorum*  
adhuc in Sicilia hanc venationis antiquæ rationem, quæ sic fieri soleat. Nobiles ubi renunciatiū fue-  
rit Cervorum greges usquam oberrare, alter alterum invitantes propere convenient, afferuntq; se. *antiqua*  
cum Scorpionem aut arcum singuli, & falciçulū virgarum, quæ omnes ferrea cuspidē præpilata sint:

L

quarum